

---

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

PHTHISI PULMONALI.

---



DISSERTATIO MEDICA  
INAUGURALIS,  
DE  
PHTHISI PULMONALI;

QUAM,  
ANNUENTE SUMMO NUMINE,  
Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,  
D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.  
ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti,

NEC NON  
Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu; et  
Nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ decreto;  
PRO GRADU DOCTORIS,  
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS  
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit  
SAMUEL ADAMS,  
HIBERNUS,  
Societ. Med. Hib. Edin. Soc. Extr. &c.


---

————— Pulmonibus errat  
Ignis edax imis, perque omnes pascitur artus. OVID.  
Inspice, nescio quid trepidat mihi pectus, et ægris  
Faucibus exuperat gravis halitus; inspice fodes;  
Qui dicit medico————— PERS.  
O formose puer, nimium ne crede colori. VIRG.

---

Ad diem 12 Septembris, hora locoque solitis.

EDINBURGI:  
EXCUDEBANT JOANNES PATERSON ET SOCIJ,  
ACADEMIÆ TYPOGRAPHI.



Digitized by the Internet Archive  
in 2020 with funding from  
Wellcome Library

VIRO ORNATISSIMO,  
RICHARDO,  
COMITI SHANNON  
DE CASTLEMARTYR,  
IN CORCAGIÆ COMITATU;  
ÆRARIÏ PRÆFECTO  
IN HIBERNIA;

BARONI CARLETON,  
IN ANGLIA;

E PROCERIBUS  
ET

EX HONORATISSIMIS SECRETIS  
REGIÆ MAJESTATIS,  
UTRISQUE IN REGNIS,  
UNI.

NECNON  
ILLUSTRISSIMI ORDINIS  
SANCTI PATRICII,  
EQUITI,  
&c. &c.

HANC DISSERTATIONEM,  
STUDIORUM PRIMITIAS,  
SACRAM ESSE VULT  
SAMUEL ADAMS.



# DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

## PHTHISI PULMONALI.

---

---

AUCTORE SAM. ADAMS.

---

---

### PROEMIUM.

**I**NTER varios morbos quibus obnoxium est corpus humanum, medicinae arte peritos illufit nullus magis quam Phthifis Pulmonalis. Nam ob inimicum hunc atrocem praemature ad Orcum demiffa fuit humani generis pars plurima, et praefertim, eheu! feminae pulcherrimae. Igitur operae praetium est, quinetiam fumma

ope niti decet, naturam ejus funestam (forfitan adhuc in tenebris obvolutam) perscrutare.

II. De eo fateor, pauca non verba scripsisse, et in studio incubuisse multos imbutos literis; et inter hodiernos, ingeniosam hypothesin in lucem edidisse Doctorem Beddoes; sed in hac nulla fiducia ponenda (me judice) ut nil quam fumum esse videtur.

III. Doctrinas, et opiniones, omnium qui de natura causisque hujus morbi perscripsere, memorare, et commentari, in hac dissertatiuncula minime convenit: Sed optimas et a praeceptoribus meis eruditis hujus academiae traditas, quam breviter possum, dicam: Spero tamen de erratis multis ingenii non optimi, signis, lectorem taciturnum esse, et nunc ad inceptum redeo.

IV. Sic morbum definit Professor noster celeberrimus Home.



“ Febris hectica, cum tussi et secretione varia,  
“ doloribus pectoris subinde recurrentibus, vo-  
“ mitu frequenti, et in decursu morbi diar-  
“ rhoea, vel sudoribus colliquativis topicis.”

V. Sic etiam Cullenus,—qualem forsan nunquam tulit terra in re medica peritiorum.

“ Corporis emaciatio et debilitas, cum tussi,  
“ febre hectica, et plerumque expectoratione  
“ purulenta.”

## HISTORIA MORBI.

VI. PROREPENTE hoste horrendo, nil queritur aeger praeter dolorem levissimum in quadam thoracis parte puncturae parvae lanceolae instar, tussiculâ titillosâ comitatum, plerumque ficcâ, sed nonnunquam spumosâ. His perstantibus, brevi supervenit lassitudo cum angustiae et oppressionis in pectore sensu, quae decubitu magis aggravantur, necnon in aëre calido et humido, ac

in locis, ubi turbâ, vel aliis causis, corruptus fuit aër, acceleratur spiritus, et post motum celerem, praecipue dum ascendatur clivo ad summum collis, difficilis redditur.

VII. Nunc sine mora tempus adest, quando nobis indiget aeger, et ad sanandum morbum, valet scientia medica; sed nil timet! Idcirco nullum medicum accersit, quia, scilicet, assentiunt ipse, et amici, tantum catarrho leni correptum fuisse: Sed eheu! laqueum quo implicatur non videt; stridet infixum pectore vulnus; nam post intervallum, verifimiliter hyeme redeunte, corpori levissimo frigore admoto, ingravescunt omnia; tunc graviora evadunt dyspnoea, tussis, et dolor, nonnunquam tam vehemens hic, ut in latere affecto decumbere nequit; adest etiam expectoratio varia, nunc viridis, nunc flava, et saepe sanguinis striis mista. Pulsus celer, parvus, debilis, aliquando tamen plenus et fortis evadit. Urina plerumque rubra, alvus adstricta, appetitus cibi varius, nonnunquam

nunquam vomitus, et haud raro in mulieribus emanatio vel suppressio mensium.

VIII. Mens varia ac mutabilis est, sed tamen plus hilaritatis quam tristitiae habet. Genae rubore pulcherrimo praesertim post pastum gaudent. Lingua et os maxime rubra et nitida sunt, dentes etiam albidus; vesperi rubescunt, et caloris gradum insolitum patiuntur manuum volae, et plantae pedum, quae omnia manifeste illustrant phthisin confirmari.

IX. Cito sese ostendit stadium tertium, vel lethale, (si mihi dicere liceat), quando illucet febris hectica, aliis febribus valde dissimilis, cum exacerbationibus binis in die, alterâ vesperi, alterâ ad meridiem ad orientem, desinente singulâ, sudoribus circa collum, caput, et partes superiores corporis, erumpentibus; ac materiae plerumquæ foetidae, crassae, et purulentae, expectoratione; absorbetur etiam pinguedo tota, et subsequitur corporis macies; labescunt vires, fit insignis foetor

tor halitûs, vultus pallidus, squallidus, et quasi illotus evadit: notatur facies Hypocratica, urina rubra, et sedimentum furfuraceum deponit; male quiescit aeger, ac si dormiret non recreantur membra.

X. Admodum albida tunica adnata oculi; et carunculae lachrymales aliquando praeter solitum rubrae videntur. Saltem propter emaciationem permagnam, ossibus per cutem ferme prorumpentibus, cum aspectu vultûs, spectaculum horrendum visu praebet miser, et exitus vitae magnopere optabilis fit.

XI. Mox cum atra mors circa finem vitae ferit, desinunt sputa, imminuuntur sudores, vel potius diarrhoeâ colliquativâ alternante, miserabilem aegrum admodum vexant: Pedes oedema occupat; vox rauca, ungues adunci fiunt; decidunt capilli; nunc aphthis innumerofis obducuntur os et fauces, quae haëtenus per totum morbum nitida et rubra fuere; et haud spatium longum ante

ante frigida mors animâ seduxerit artus, supervenit delirium. Nunc Juno omnipotens longum miserata dolorem, Irim demittit Olympo, quae fecatâ crine, luçantem animam, nexosque resolvit artus, et sic vita recedit in auras.

XII. Per totum morbum fere valet cupiditas venerea \*, quae ut plurimum mihi videtur, non semper prodest, praecipue maribus, sed contra, accelerat ad Stygias oras. Restat etiam mens integra, paucis diebus exceptis, ante exitum fatalem, nec periculum praevidet, nec timet aeger, sed semper sanitatis recuperandae vana spe sese illudit. Oritur febris hectica, aliquando sine ulla expectoratione.

XIII. Morbus non semper aegrum atris circumvolat alis, et per multos annos durat; quam subinde intra quinque vel sex menses lethalis fit; unde nomen imposuerunt nostrates,

*Gallopings*

\* Vide Nesbit on Scrophula and Cancer.

*Galloping Consumption*; sed tunc forsitan tabe mesenterica conjungitur.

### CAUSAE REMOTAE.

XIV. HÆ, uti medicis videtur, in duo capita dividuntur, nempe *Praedisponentes* et *Excitantes*. Illis nunc imprimis animadvertendum est, et ad genera sequentia deduci possint; prout spectant ad *Corporis Formam, Temperamentum, Ætatem, et Anni Tempus*.

XV. Ad FORMAM. Phthisei proclives reddunt multum thorax nimis arctus, humeri prominentes, collum longum, et costae depressæ; quae omnia aliquando originem ducant, a posituris quibusdam corporis, præcipue his quibus consueti sunt *sartores* et *sutores*; necnon a fasciis, quod ab pessimo isto more, pectus et abdomen arcte constringendi, quo uti solent puellae, ut graciles videantur, satis rite intelligatur; propter talem enim structuram, non libere per pulmones

mones vehitur sanguis, et sic pulmones nimio sanguine distensi, plethorici evadunt, et hemorrhagiis, vel obstructionibus, quae multum ad phthisin excitandam valent, opportuni fiunt, ut postea dicetur.

XVI. Ad TEMPERAMENTUM. Quod nunc fere omnibus patet, reor, et multis etiam exemplis manifeste apparet, hujus morbi ortui magnopere favere *temperamentum scrofulosum*, nam magis iis (favere) quibus sunt corporis compago mollis et flaccida, crinis albus, vel potius flavus, oculi caerulei cum tunicae adnatae albore, eximio cutis colore, rubore genarum, columnis nasi tumidis, labii superioris tumore atque fissurâ. Haec omnia signa nunc enumerata, non semper adsunt, plerumque tamen invenietur, aegri parentes strumarum, vel artuum affectionum ut in tumoribus albis, vel etiam ophthalmiarum, potissimum tarforum signa prodidisse.

XVII. Ad TEMPESTATEM ANNI. Appropin-

quanti vere, vel finem versus autumnum, plerumque exitialem esse phthifin putatur; frigoris enim et caloris viciffitudines variae quae tunc temporis tam frequenter sese ostendunt, huic morbo opportunaef esse videntur: Haud adeo valent tamen, ut mihi videtur, nifi fit labes quaedam hereditaria.

XVIII. Ad *ÆTATEM*. Repetitis plurimis observationibus liquet, homines, ab vitae anno decimo quinto ad trigefimum quintum vel sextum huic morbo pronos esse. Docet experientia longa, exempla pauca fuiffe phthifeos impuberes vel aetate provectiores adorientis.

XIX. Causis praedisponentibus peractis, ad *causas excitantes* nunc pervenitur, quae proxime attentionem nostram follicitant, de illis igitur pauca praeponenda sunt.—Hujusmodi sunt (claro Culleno iudice); Haemoptysis, Catarrhus, Asthma, Pneumonia, et Tubercula.



XX. HÆMOPTYSIS. Huic multum confert, prava thoracis conformatio, inter causas praedispōnentes nuper enumerata; propter enim ejus capacitatem jūsto minorem, adstante plethorâ juventutis (vel arteriosâ), impetu sanguis in pulmonum vasa irruit, et horum extremitates tam multum urget, ut ab his sanguis erumpi queat, et hoc modo haemoptysis generari, quae semper timenda est, quando phthisin adest proclivitas. Timenda est minus haemoptysis larga quam levis et recidua.

XXI. CATARRHUS. Secundum locum tenet catarrhus, frequenter enim inter causas hujus morbi commemoratur. Ad congestionem in pulmonibus certe multum ducunt evacuationes omnes suppressae, praecipue, secretionum et excretionum naturalium, unde fit, quod ad hunc morbum haud raro ducit, perspiratio suppressa vel imminuta. Pulmones opprimi clare constat, quum frigore vel aliis causis perspiratio coercesatur, nam sanguis in iis redundans accumulatur,

et,

et, halitu minuto, ad sese exonerandum minus possunt; illis idcirco ad phthisin proclivibus, vitanda sunt loca paludosa et regiones pluviatiles.

XXII. ASTHMA et PNEUMONIA. Haec nonnunquam morbum induxiffe, fertur; raro nihilominus (me opinante) nisi praegressa fuerit labe hereditaria: Quare sub hoc capite mihi est in animo asserere, post rubeolam, vel pertussim, phthisin oriri posse.

XXIII. TUBERCULA. Varias inter causas ad phthisin recensitas frequenter magis tendit nulla, quam haec, maximi ideoque momenti est, illis attentionem dare, quippe haud saepe fortasse morbum creant (causae) ante enumeratae nisi in quodam modo haec adsunt. Ab his quoniam, toties germinat morbus lethalis, pauca de naturâ eorum dicenda sunt. *Tubercula* tumores sunt quoad magnitudinem varii, a minimi seminis mole, usque ad illam fabae, parvis glandulis similes, quaquaversum

quaquaversum resperfi per pulmonum totam substantiam. Per longum tempus inertia manent; sed frigori tandem corpore admoto, vel aliâ quacunq̄ue causâ irritata, *scilicet*, pulvere, vel materiâ calcareâ, inflammantur, in suppurationem abeunt, denique rumpuntur, formatur ulcus, unde in bronchia materia effunditur, et e trachea rejicitur. Haec inter et tumores scrofulosos in aliis corporis partibus, similitudo mira aliquando existit; etiam materia in iis formata, illi in strumis valde similis est, quae omnia clarius monstrant morbum a scrofula oriri.

## RATIO SYPTOMATUM.

XXIV. *Tussis sicca*, morbum a principio tam saepe comitans, a tuberculorum formatione et eorum irritatione, verisimiliter originem ducit.

XXV. *Dyspnoea et oppressio*, ab actione quâdam insolitâ, congestione, vel obstructionibus, in  
pulmonum

pulmonum vasis, et sic eorum actionem liberam impredientibus, dum tubercula sese formant.

XXVI. *Dolor pectoris* ab iisdem causis oritur.

XXVII. *Haemoptysis*, a vasorum ruptura, ob plethoram arteriosam.

XXVIII. *Debilitas et emaciatio*, e pulmonum obstructionibus, omnibus enim patet aliquid, ad sustinendam vitam necessarium, ab aëre circumambiente corpus per inspirationem ingredi, et aliquid etiam vitae noxium per expirationem a pulmonibus rejici: Pulmonibus obstructis, plane perspicitur, systema totum male sese habiturum esse; prava cibi assimilatio, cum glandularum mesenterii obstructionibus ad hæc (haud dubio) nonnihil conferre possunt.

XXIX. *Expectoratio purulenta et striata*, a vomicarum ruptura et vasorum erosione.

XXX. Febrem hecticam, ab puris absorptione plerumque pendere, a medicis existimatur; at tamen, non defunt multa exempla, ubi febris hectica, quamvis nullâ corporis parte pure inquinatâ, sese monstrabat, (scilicet) in diabete, et phthiseos aliquando primis stadiis.

XXXI. *Sudores*, a debilitate et vaforum exhalantium relaxatione.

XXXII. *Diarrhoea* etiam, ab iisdem causis; sudoribus enim suppressis excitatur diarrhoea, et diarrhoeâ fraenatâ, erumpunt sudores.

### DIAGNOSIS.

XXXIII. MORBORUM omnium quibus homines affliguntur, catarrho solo excepto, hic nullam similitudinem refert; et ut cum eo confundi possit, discrimen inter hos duos morbos ad veram diagnosin instituendam, depingam.

XXXIV.

XXXIV. Imprimis, tussis catarrhum comitans, humida, stabilis, et ab initio plerumque coryza adesse solet; dyspnoea mitis, vel nullius momenti occurrit, et ab primo ortu expectoratio fere nascitur; sputum a pulmonibus facile rejicitur, non timendus est catarrhus, et remediis leniter cedit. Sed non sic accidit in phthi- si; tussis enim hinc levis, sicca, et astricta est, per intervalla revertens: Dolor prope sternum vel pectus fixus, pondus in pectore sentitur, et vomitus cibo assumpto, saepe sequitur; praecipue notatu dignum est, Debilitatem insignem fere phthisin ab ingressu comitari. Morbum pro- vectum macies, febris hectica, cum halitûs in- signi foetore, proculdubio pingunt, et praecipue si hereditarius sit morbus, vel si stirpes scrofu- lae proni sunt.

XXXV. Ad mucum inter et pus dignoscen- dum, experimenta multa chemica instituta fuere, sed multum plorandum est, quod nil certi, ex illis concludere possumus, facile vero a muco pus dig- nosci

gnosci potest, sapore, odore, colore, et pondere; praesertim, si in superficiem levem effundantur sputa, pus super eam expanditur, haud vero mucus.

## PROGNOSIS.

XXXVI. INFAUSTE plerumque terminat phthisis pulmonalis, et inter juniores quam seniores funestior evadit. Si tamen aegro fit validus corporis habitus, si vires haud multum imminutae sint, cum expectoratione nec difficili nec foetida, et etiam, si nec dolor valde acutus sit, cum respiratione libera, et aeger thoracis amplâ magnitudine gaudeat, atque labis haereditariae vel scrofulosae signa non adsint, et denique, si nondum accesserit macies vel febris hectica, sanitatis restitutio speranda est.

XXXVII. E contra autem, si diminuta thoracis capacitas, cum labe haereditaria, si tussis continue vexet, et spiritus difficile reddatur; si

spuata puris similitudinem referant, cum odore tetro, et si febris sudoribus copiosis, et insigni corporis emaciatione ingravescat, diarrhoeâ colliquativâ superveniente, tunc omne timendum est, nec ulla salutis spes restat.

### RATIO MEDENDI.

XXXVIII. PERVENITUR nunc a nobis methodus medendi: Etsi hujus morbi eventus plerumque infeliciter terminat, omnino tamen haud diffidendum; praesertim, si primum tantum stadium ad nos sese offert. Ad morbum removendum aliquando quamvis non prodest peritia medicorum, veruntamen, symptomata urgentia lenire opus videtur. Ad morbum sanandum nil magis confert quàm causas excitantes tollere, et praecipue tuberculorum inflammationi obviam ire, vel eorum resolutionem promovere, quando fieri potest.



XXXIX. *Ad Tuberculorum Inflammationem.*—

Irritationem omnem vitari quae sanguinis ad pulmones cursum propellat, et evacuationes omnes suppressas, potissimum per cutem excretionem, restituere necessarium fit, antequam ulla remedia dantur. Ad ultimum eorum, et corpus muniendum contra aëris mutationes varias, nihil mihi melius videtur, quam indusium laneum, et in aëre aperto exercitatio modica: Minime convenit sudorificis uti, his enim corpus debilitatur.

XL. Exercitationes varias monent medici; nonnullis laudatur navigatio, equitatio aliis; hic jactationem in sella pensili suadet, dum alter rhaedis vehi aegrum hortatur: sed horum omnium mihi videtur, primum locum tenere navigationem, non solum propter aërem purum oceano incumbentem, sed etiam propter coeli mutationem, et nauseam quam ciet, (hac enim sanguinis fluxus in corporis superficiem promovetur.) Coelum humidum et mutabile phthi-

ficis

ficis haud prodest, propterea Gallia meridionalis, Lusitania, Hispania, Italia, Helvetia, vel insula Madeirae, multum commodi habent. Dum ita per varia loca percurritur, non solum exercetur corpus, sed et animus simul oblectatur.

XLII. Missio sanguinis a nonnullis multum laudatur: Caute tamen administrari debet, propter debilitatem quae hunc morbum semper comitatur; etsi pulsus tale remedium postulare videretur, nihilominus diaeta parva et cathartica mitiora anteponenda sunt. Morbus a gravitate tolli pro tempore saltem observatur, quia forsitan magna sanguinis copia, ut bene nutriatur foetus, pulmonibus ad uterum avertitur; igitur a proposito non alienum erit, hinc connubium quasi profuturum memorare. Ne alvus astricta sit, clysmatum emollientium, et laxantium mitiorum ope, per totum morbum praecavendum est.

XLIII. *Tubercula resolvendi causa*,—a medicis  
proposita

proposita fuere varia medicamenta ; ex his sunt *Barytes muriata*, *Myrrha*, *Hydrargyrus*, *Cortex Peruvianus*, *Cicuta*, et *Emetica*.

XLIII. *Barytes muriata*,—remedium nequaquam malum in aliis morbis scrofulosis, nuper in hoc morbo multum adhibetur. Clarus Gregorius in suis praelectionibus memorat, puellam tumoribus magnis scrofulosis in collo affectam, et in phthificos stadio proVectiore, ope hujus remedii sanatam esse ; nihilominus, tamen, in affectionibus aliis scrofulosis et phthificis, ubi data fuisset, haud multum commodi ejus usum subsequi testatur ; efficacia ejus igitur confirmanda restat.

XLIV. *Cortex Peruvianus* et *Myrrha*—olim adhibita fuere ; sed nunc constat remedia esse dubia, et inflammationi et suppurationi favere.

XLV. *Hydrargyrus* et *Cicuta*,—propter vires eorum deobstruentes, in hoc morbo utilia existimata fuere ; sed docet longa experientia, hydrargyri

drargyri usum non solum non profuisse, sed clare nocuisse.

XLVI. Ob cicutae beneficium in tumores alios scrofulosos resolvendo, et ulcera mali moris sanando, (externe applicatae) in phthisi ab ejus usu fortasse aliquid boni saltem sperandi liceat, necnon in symptomata urgentia propter qualitatem ejus narcoticam leniendo, multum commodi oriri possit; hinc remedium haud vile censeferi debet.

XLVII. *Emetica*—propter eorum potentiam in fluidis versus corporis superficiem avertendis, non male dantur; sed parvis dosibus administrari debent, ut cieatur tantum nausea, quo maturius ad illa decurritur, eò plus proderint.

XLVIII. De diaeta aliquid nunc dicendum. Convenit plerumque omnibus diaetam neque ad debilitatem, neque ad diathesin phlogisticam ducentem, multum nutrimenti praebentem, et  
stimuli

stimuli expertem, phthificis aptissimam esse; quapropter regimen ex lacte confectum et vegetabilibus anteferendum est. Sed interdum accidit, ut stomacho debilitato gignatur acidum, quod tunc coaguli separationem promoveat; quapropter aquae calcis, vel magnesiae usuae parva quantitas his incommodis impediens: Ante omnes alias lactis species praeponendum est lac asinarum, vel equarum, quia materiâ caseosâ et saccharinâ minus abundat, idcirco ventriculo melius se deat. Lac ebutyratum, et ferum, quae satis alunt, corpus refrigerant, et alvum solutam tenent, potum gratissimum et nutrientem praebent.

XLIX. Conchyilia, et fructus acido dulces adhiberi possint, et minime neganda sunt. Juscula, gelatinae, et pauxillum carnis, cum vini, cervisiae Londinensis, vel aliorum liquorum fermentatorum modicâ portione concedenda sunt, praesertim quando vires labescunt.

L. Aquae minerales aliquando in curatione hujus morbi laudatae fuere, praecipue ferrugineae; sine ullo fundamento tamen ut opinor; et si unquam profuissent, exercitationi, coelo, et variis oblectamentis quibus in his locis animus fruitur, attribui debet:

LI. Tertia et ultima indicatio restat, nempe symptomata urgentia lenire; de quibus sunt *Tussis, Dolor, Sudores, et Diarrhoea.*

LII. *Tussis*:—Haec quando initio morbi molesta est, misturis mucilaginosi, emeticis, et expectorantibus decurrendum est. Inter hujus ultimi generis varia remedia, illustri Rutherford inveniebatur scillam cum gummo ammoniaco conjunctam primum locum tenere, febre non urgente; morbo tamen provento, ad leniendam tussin acutam et difficilem, nil opio praestantius.

LIII. *Dolor*.—Nihil ad hunc mitigandum  
magis

magis valent quam fofus, cucurbitulae cruentae, emplafta epifpaflica, et opium.

LIV. *Sudores*—ad comprimendos magnopere conducunt potus frigidi, et acida omnium generum, fed praeter alia acidum vitriolicum. Magni etiam momenti eft, ut aegri cubiculum aëre frigido et puro fit perflatum: Stragula lecti pauca fint, et primo mane affurgat.

LV. *Diarrhoeam*—tantum manet nunc breviter memorare: Ad hanc compescendam gum kino, catechu, et creta, in ufū funt; fed multo magis valent quando opio conjuncta, ut in formulâ illâ Valetudinarii Regii Edinensis, (fcilicet Infufum Catechu Thebaicum,) inteftinorum enim irritabilitatem cohibet opium, et fomnum inducit.

... ..

... ..

... ..

... ..

... ..

... ..

... ..

... ..

... ..

... ..

... ..

... ..